alteri, & reliquus angulus reliquo angulo. Sint duo trianguli a b c, d e f et angulus b sit æqualis angulo e, & angulus c angulo f. Sitq; basis b c æqualis basi e f, aut unum ex lateribus triãguli a b c æquale suo relatiuo lateri trianguli d e f. Dico reliqua latera, reliquosq; ãgulos esse æquales. Sit primo bases æquales, & intelligatur basis e f superponi basi b c, quæ cũ sint æquales, necesse est punctũ e cadere super punctũ b, et punctũ f super c. Et propter æqualitatẽ angulorũ et conuersionẽ octauæ cõceptionis, necesse est lineã e d cadere super a b, et d f super a c, nõ ergo erit poßibile ut latera huius ulterius aut citerius lateribus alterius cõcurrãt, erunt igitur æqualia et anguli ab eis contẽti æquales per octauã conceptõem. Ponatur secũdo latus d e æquale lateri a b. Et alterũ alteri fingatur superponi, propter æqualitatẽ ergo eorum punctus d cadet super a punctum, & e super b, linea deniq; e f supra b c lineam cadet propter æqualitatem angulorũ, et conuersionẽ octauæ cõceptionis. Quòd si d f congruerit etiam ipsi a c, concludes per octauam conceptionem propositũ. Sin uerò d f cecciderit aut intra aut extra triangulum, semper sequetur angulum extrinsecum esse æqualem angulo intrinseco sibi opposito, cuius contrarium demonstrauit Propositõ Duodecia.



VICESIMA PROPOSITIO.

Si linea recta duas lineas rectas secando fe